

Quaestio medica ... An praeter genitalia sexus inter se discrepent? / [Edmond Thomas Moreau].

Contributors

Moreau, Edmond Thomas.
Thiéry, François, 1719-
Université de Paris.

Publication/Creation

[Parisiis] : [Quillau], [1750]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xj699xqr>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimo-septimo
mensis Decembris, anno Domini M. DCC. L.*

M. FRANCISCO THIERY, Doctore Medico,
Præside.

An præter genitalia Sexus inter se discrepent?

I.



GENERATIONIS, quâ nihil in rerum naturâ frequentius & abstru-
sius, non una ac eadem via est: aliquando absque Sexu, ut in productio-
ne plantarum per taleolas, polyporum per sectiones, solemne est fieri
generationes; & in multis animantium generibus, præsertim in iis quæ
vitam immobilem agunt, nullum omnino Sexûs reperies discrimen;
frequentius tamen in vegetantibus animantibusque requiritur Sexus: mas-
culus qui in alio generat, alter qui in seipso femininus. Utriusque autem modus & usus
differunt. Brutis coeundi tempus anni definitum, homini nullum; quædam species abs-

A

que coitu generant, ut pisces; in nonnullis, individua Sexu utroque simul donantur; ut plurimi vermes, testacea quædam, vegetantium maxima pars; quadrupedibus verò, piscibus, volucris, & reptilibus unus cuique individuo Sexus est; nec inter homines fuisse, qui ambiguo sexu donarentur, certâ unquam (a) observatione constitit; sed vetustissimæ hermaphroditorum opinioni ansam dedit, nymphæ colem æmulantis excessus. Vidimus & ipsi paucis abhinc annis puellam septennem, quæ deinde fere pubes, Urbi spectaculo fuit; clitoridis grandiori mole, puerum suæ ætatis adeo mentiens, etiam superans, ut androgynen renunciaverint omnes, præter Anatomicos. Cur aliquando in naturâ absque Sexu, sæpius utriusque operâ, fiant generationes, satis aptè ex diversitate fabricæ organicæ explicabis: hæc ubi in nonnullis corporibus organicis simplicissima est, pars quæque toto similis, per debitam evolutionem corpus efficit, non absimile ei à quo exsecta est; in plerisque autem aliis magis composita, feminis, adeoque Sexûs exigit necessitatem. Cur verò individuorum utroque Sexu simul instructorum duplex copula, cur & in his quæ unico tantum gaudent collata Sexuum requiratur opera, nec ex solo semine masculino mares, ex feminino femellæ producantur, huc usque physica latuit ratio. Sexuum porro institutio multa posuit in animantibus discrimina, diversa pro diversis genere & specie, quorum alia ipsamet generationis organa hîc consultò prætermittenda, alia Sexuum generaliores usus spectant. In specie humanâ, pectinis os feminis recurvatum magis in exteriora quàm viris, ossa ilium magis ad latera reflexa, latioraque, tum os sacrum longius, antrorsum minus flexum, tum coccyx rectior, lumborumque vertebræ retrorsum magis declinantes, efficiunt ut pelvis muliebris, omni dimensione, virili capacior sit: inde utero, fetuique enormi mole adaugendis, amplum paratur spatium; nec obsistunt aliunde mollia circumfusa, intestinum rectum, & vesica, quæ sensim expansa, cum uterus inanis est, & inde majora quàm in viris, excrementa diutius retinendi feminis dant facultatem. Latior autem pelvis, & augescens in graviditate abdomen ideo firmitus sustinentur, quod femoris & coxæ articulatio rectiorem cum trunco angulum efformet in mulieribus quàm in viris. Prætereà in illis coccyx mobilior, si antrorsum vertitur, fetum sustinet, si retrorsum, favet enitentibus: sed & ossis sacri cum ossibus ilium commissura debilior est; præcipuè ossa pubis breviori lineâ & molliori cartilagine inter se committuntur, quæ propterea in enixu aliquando (b) disjungi observatis constitit. Infimæ autem partes sub ossium pubis connexu, cum magis à se invicem distent, ilchiique spina antrorsum reflectatur, ex pelvi, ad fetum excludendum, exitus in feminis amplior est. Viviparis porro animantibus, debilem fetum, primis à partu temporibus nutriendi commissum officium, mammarum fecit necessitatem; quæ brutis ventri potissimum subjacent, homini pectori affiguntur: ideo mulieribus thorax anteriori parte planior est, claviculæ minus curvæ, quàm viris; in his adumbrari tantum mammas dixeris, cum exsuccæ, rarissimè lac fundere visæ sint. Verum, ut feminis major pelvis capacitas, sic masculis thoracis dimensio amplior; quod fere de omni genere viviparorum dicendum est: latiores ergo viri supremâ thoracis parte, coxis angustiores; contrà mulieres. Demum sternum quod viris longius, mulieribus brevius est, his abdominis longitudinem adauget, minuit illis. An & feminis costæ mobiliiores? certè viri abdomine, feminae thorace præsertim respirare (c) observantur: inde securitati earum provisum est, graviditatis enim tempore, repleto distentoque abdomine, septum in pectus repulsum difficillimè contrahitur, & respiratio è solo thorace feminis tunc fere superest. Imberbis facies cum uberum prominentiâ facilem & expeditam facit muliebris Sexûs à virili distinctionem, etiam sine diversis vestibus aspectabilem. Nonne alia inter Sexus veniunt discrimina? contextum partium, temperaturam dissimilem, proinde actiones vitæ, proprietatesque Sexibus diversas inesse credimus; quæ quidem ex uno & eodem naturæ systemate emanare videntur.

(a) Theodor.
Tronchin. Dissert.
de Nymphæ Præsid.
Boerth. 1730.

(b) Riolan.
Anthropogr.
lib. VI. cap.
32.

(c) Boerth.
Comment.
Institur. n.º.
613.

I I.

QUI Sexus inter se non differre exinde putaverit, quòd organa præter ea quæ generationi dicantur, eadem numero & situ paria utrique concessa sint; ille nec hominum, nec animantium ejusdem speciei, in diversis regionibus, miram varietatem perspexit; nec individui ejusdem, pro variâ ætate, rerum non naturalium usu, prosperâ vel adversâ valetudine, manifestum à seipso discrimen. Molli, delicatulo hominioni eadem ac athletæ viscera sunt: fatuo & sapienti, non alia cerebri, non alia sensuum organorum structura. Quantum tamen hi & illi inter se discrepant! Itaque ut in animantium familiis stupenda diversitas, sic in speciebus infinitæ propemodum differentiæ. Ex dissimili prorsus fabricâ generum distinctio; ex similium organorum variâ constitutione specierum & individuorum discrepantiæ. Et primo quidem, organorum elementum fibra est, quæ variè tensa, laxave, solidior, vel tenerior, dissimiles edit effectus; at organa se habent ut fibræ; actiones porro ut instrumenta à quibus producuntur. Deinde singulorum membrorum, innumeris modis variare potest conformatio exterior, magnitudo, moles, mutua inter sese proportio, eâdem remanente structurâ: hinc innumera discrimina. Sic ex cordis molis, respectu totius corporis, proportionem adauctâ, majus inde accedere robur: ex crassioribus ossibus, quibus majores sint eminentiæ, firmiores articulos, validiorem reddi actionem muscularem, demonstrant Physiologi; & sic porro de cæteris. Specierum ergo discrimina indicant, modò partium exacta disquisitio; modò vitæ actiones, motus, sensus, respiratio, vox, gestus, mores & affectiones, valetudo, vitæ brevitatis, prolixitas, &c. modò signa externa, tum universi corporis, tum singulorum partium. Pili rigidi, densi, plurimi, collum crassum, vastum caput, quæ in robustissimis animantibus adsunt, eadem in hominibus fortitudinis signa sunt: cutis nigrior, hirsuta pilis, progrediente ætate calvities, latissimus thorax, venæ amplæ, arteriæ vehementius pulsantes, musculosum corpus, nec pingue, nec gracile, firmissimam constitutionem significant; contraria imbecilem, &c. Hæc porro omnia mutuò sese confirmant: interiora corporis, externis, ut plurimum, respondent; miræque animalium fabricâ, partium interiorum determinata vis, certam in exterioribus producit conformationem: animi pathemata & propensiones, corporis diatheses, sese vicissim designant, & mutuò producunt; cum mores sequantur temperamentum corporis. Verùm inter animantium genera, ex homine longè major signorum numerus colligitur; quandoquidem illi habitus spectabilior, corpus pluribus actionibus aptius, vultus denique, ubi animus fere inhabitat, mentis affectionibus prope omnibus indicandis est habilissimus. Hinc ars Physiognomonix, quæ suis si circumscribitur finibus, non incerta adeò spernendave; hinc temperamentorum doctrina, quæ bene percepta, sanandi artis firmissimum est fundamentum. Iis principiis accuratè insistens, œconomiam animalem utriusque Sexûs, si investigaveris, haud pauca, nec ad praxin inutilia reperies discrimina, quorum summa satis erit hîc attigisse.

I I I.

VIRILEM perlustranti Sexum occurrunt tibi, cutis densior, durior, hirsuta pilis plurimis, crassis, ut plurimum nigrioribus; distentæ venæ; quadrati muscoli, tendinibus instructi validioribus; crassiora ossa, eminentiis asperiora; artuum firmior compages; oris, totiusque corporis duriora apparent lineamenta. Contrâ mulieribus mollior cutis & candidior; pilus tenuior, rarior & splendidior; vix apparent venæ; tenerrimæ adsunt carnes; exiliora & planiora ossa; crassiora genua, pedes elegantiores; artuum omnium tractus leviores, magisque expoliti: ut jam ad virile corpus robur & dignitas, ad muliebre lepos & venustas cum quâdam debilitate, pertinere videantur. Membrana deinde cellularis, præcipuè quæ cuti subjicitur, viris strictior macriorque, eadem feminis laxa magis & turgens pinguedine, vasa cutanea comprimit. Hinc illis uberior perspiratio, his autem parcissima, simul & minùs acris, ut potè leniori temperata oleo; unde halitus puellarum ad senilem tardandam ariditatem, (a) maximi fit mo-

(a) Regum I Ib
III. cap. I.

(b) Comment.
Bonon. Scient.
& art. Inſtit.
& Acad. Tom.
II. part. I. p.
221.

(c) Bryan.
Robinson, ex-
perim. de ani-
malib. obſerv.
3. 4.

(d) Galen.
de cauſis pul-
ſuum Lib. III.
cap. 2.

(e) Heiſter.
compend. A-
natomic. n.º.
209.

(f) Galen.
de ſimplicib.
Medicament.
Dioſcord. de
Mater. Medic.
paſſim.

(g) Ariſtot.
Hiſtor. Ani-
mal. Lib. IV.
capit. ultim.
(h) Idem
de Phyſiogno-
mon. cap. 5.

(i) Clifton
Wintringh.
apud Haller.
Commentar.
Inſtitut. Boerr.
n.º. 661. n. 4.

menti. Hinc etiam leviores jacturas patiens, & excrementis abundans muliebre cor-
pus, longarum inedarum, præ virili, longè frequentius (b) celebria dedit exempla. Por-
ro thorax amplior in mafculo Sexu [Sect. I.] quàm in feminino, inſigne ponit in œco-
nomiâ utriuſque diſcrimen; cùm pectoris cavitati pulmonis reſpondeat volumen, hic
autem præcipuum fit vitæ organum. Muſculi prætereà viris craſſiores quàm mulieribus;
validiorem illis eſſe actionem muſcularem evincunt, aliis ſiquidem paribus, viſ muſ-
culorum ex ipſorum mole æſtimanda. Verùm ventriculus, inteſtina, muſculi ſunt;
reſpiratio, loquela, &c. fiunt ope muſculorum; adeòque viris ciborum major appe-
titus, concoctio facilior, vox gravior & fortior, &c. Cor ipſum, animalis machinæ
primum mobile, muſculus eſt, quem diverſæ molis eſſe in utroque Sexu, diligentiffi-
ma (c) obſervata docuere; proportio enim ponderis cordis (detractâ pinguedine)
totius corporis reſpectu minor eſt in animantibus pinguioribus quàm macilentis; at
feminæ viris pinguiores: & in univerſum ea proportio major eſt in animantibus maf-
culis quàm femellis, cicuratis ſerifve. Quapropter humorum motus & quæ ex eo
pendent ſecretio, excretio, &c. viris validiùs perficiuntur; „ viri mulieribus (d)
„ pulſum fere habent longè tum majorem, tum vehementiorem, tardiorem ſimul,
„ diaſtolis tamen extentionis: contra proportio molis hepatis, reſpectu cordis &
corporis, major eſt in feminis quàm maribus; augetur ſiquidem jecinoris pondus eâ
ratione quâ cordis pondus minuitur & viciffim: concurrunt aliunde textum cellulare
plenius in feminis; cùm, ex humorum affinitate, cellulofum ſyſtema hepatis-
que volumen, pari ratione, (quæcumque ſit), augeri ſimul minuique videantur.
Inde phænomena explicabis; cur ventriculus (e) minor mulieribus; cur hepatis
affectiones & aqua intercuſ iis frequentiffimæ; cur reſpiratio difficilior; cur tandem modica
fitis, & appetitus languidior qui acribus & inſolitis ſit excitandus. Hæc autem confirmant
quæ & in brutis tibi notanda veniunt ſexuum diſcrimina; marium ſcilicet carnes duriores,
femellarum teneriores, ipſis coquis eſt notiſſimum; tum varias animantium partes,
diverſas, pro diverſo Sexu, ad Medicos uſus (f) exhibere facultates, Medicorum filii
te edocebunt: deinde in omnibus fere animantibus femellas voce tenuiori & acutiori
diſnoſces, mafculos fortiori, collo inſuper & capite amplioribus; prætereà partibus
quas ut arma natura dedit, quales ſunt dentes exerti, cornua, calcaria, &c. iis fe-
minas omnino deſtitui reperiſ, vel ſi utrique conceſſa Sexui, maribus hæc omnia po-
tiora (g) & robuſtiora adēſſe; & ferarum feminas ad homines faciliùs aſſueſcere vide-
bis (h) & manſueſcieri, certo indicio, quòd ut corpore, ſic animo, maribus ſint mol-
liores. Diſſimilem verò exigebat in corpore feminino temperiem fetûs nutritio; laxa-
tâ nempe ſolidorum compage, minutis inde humorum motu & ſecretionibus, matri
arceſſenda erat plethora, quæ porro ad uterum præcipuè ducenda erat. Inde diſpar
in utroque Sexu vaſorum apparatus, hic non prætermittendus. In genere arterioſum
ſyſtema laxius eſt feminis quàm maribus, venoſum autem non eâdem proportionem (i)
debilius in illis; venoſum proinde ſyſtema magis repletur maribus, arterioſum femi-
nis; quòd ex arteriis catamēnia fluant, lymphæ in utero fetum nutriens, lac exſudet
in mammis. Deinde aortæ deſcendentis truncus, reſpectu aſcendentis, amplior femi-
nis quàm maribus, illiſque magis ad iliacam regionem, utpote debilior, dilatatur,
à quo aliunde ibi majores oriuntur rami & numeroſiores: at feminis venæ majori craſ-
ſitie eò ſtrictiores, ac numero pauciores, quòd pelvi vicinioreſ ſunt: quapropter co-
pioſo ſemper ſanguine turget uterus, cùm majori ipſi quantitate afferatur per arte-
rias, difficiliùs revehatur per venas. Eò demum ſpectant, vaſorum uteri, inter ſe, cum
hæmorrhoidalibus, iliacis, femoralibus communicatio; valvularum defectus in venis
ſanguinem ad perpendicularum reducentibus; arteriarum ſerpentinus ductus, quæ præ-
tereà ore patulo hiant per villos exhalantes uteri, vel in ejuſdem ſinus mucosos. Ergo
in uterina plethorâ, quæ neceſſaria fuit, gratiam, partibus abdominalibus major
conceſſa fuit laxitas; hæc deinde in univerſum corpus ſimilem induxit diſpoſitionem,

ne mutata nimis, partium inter se convenientia, muliebris œconomia læderetur. Ex-
 cluso fetu, constricto utero, plethoram ad mammas ferri exigebat earum [Sect. I.]
 usus. Hinc mirus ille uteri & mammarum consensus; quem tamen nec vasorum mam-
 mearum cum epigastricis evidentior in feminis communicatio, nec nervorum com-
 mercium, nec utriusque partis liber à compressione situs, vix sufficienter explicant,
 quamvis ultima ratio probabilior utcumque videatur. Hæc porro ut plurimum in
 brutorum femellis conspicua, in muliere tamen conspectiora, dissolvendis satis sunt
 his quæstionibus; cur minus sanguinis extrinsecus corporis feminarum partibus, inte-
 rioribus verò magis continetur; cur in quadrupedibus viviparis partes superiores &
 anteriores maribus validiores & aptiores, feminis (k) contra inferiores posteriorese;
 cur omnium feminarum mulier sanguine maximè abundat; cur doloribus gravanti-
 bus præ viris magis obnoxia; cur illi crassiora femora; cur venæ sectiones & enormes
 hæmorrhagias absque vitæ, & fere valetudinis periculo, sæpius mulieres patiuntur;
 cur puellis peculiaris morbus chlorosis: hinc etiam eorum ratio patet quæ in practi-
 cis observabis; in universum virilia corpora frequentius & vehementius acutis morbis
 corripì deprehendes; feminina chronicis & periodicis ut magis obnoxia videbis,
 sic celeres morbos mitiores plerumque experiri. Viris magnæ & subitæ valetudinis
 mutationes magis familiares; sponte siquidem ad athleticam constitutionem vergunt,
 quæ valde (l) lubrica est.

(k) Aristot.
 Histor. Ani-
 mal. Lib. IV.
 cap. XI.

(l) Hippo-
 crat. Aphor.
 3. Sect. I.

I V.

SEXUUM diversa temperies, viriumque vitæ [Sect. III.] inæquale momentum,
 alia in corporibus circa nutritionem & accretionem fecere discrimina. Jam mas-
 culos citius in utero coagmentari, triginta scilicet diebus, feminas quadraginta-duo-
 bus, quod ipsis ab initio principiorum diversa vis insit, divus senex (a) memoriæ
 tradidit: ubi verò in lucem editi sunt fetus, puellæ citius quàm pueri crescunt, pu-
 bescent, sapiunt; tenera siquidem laxiorque compages, hinc inde tota explicabilis,
 facilius recipit nutrimentum, quod præterea minùs consumitur, & minori massæ di-
 stribuitur. Eadem corporis mollities debitam membris flexibilitatem diutius servat,
 & senilem quâ tandem obimus, ariditatem moratur. Inde mulieres, si tamen men-
 struæ cessationis, (quæ plurimas jugulat) periculum vitaverint, viris sunt longævio-
 res; cujus rei veritatem, contra antiquorum sententiam, stabilivit recentiorum (b)
 observatio; inde etiam mulieri, secus ac viro, caput tristi non deturpatur calvitie:
 senescere autem feminis minùs incommodum, quod breviori corpore (c) sint. Mas-
 culis enim statura eminentior, constanti satis lege, quæ etiam in quadrupedibus san-
 guineis viviparis, fere perpetua est: an quod debiliiori Sexui proceritas eadem ac ro-
 busto inutilis, imò gravior? an ita naturæ visum augmento muliebri limites pone-
 re, quod citius edendæ proli forent aptiores? quippe iis generandi ad quadraginta-
 quinque, vel ad summum quinquaginta annos cessatabilitas, quæ viris vix agnoscit
 terminos. Quâ ratione autem accadat staturæ discrimen, illud [ex Sect. III.] mecha-
 nicè explicabis. Ossium volumine corporis moles circumscribitur, ut si crescere de-
 finant, jam universi corporis cesset accretio: causa verò in ossium penetralia fluida
 impellens, vis est cordis: hæc si resistentiis major est, corporis fit augmentum; si
 æqualis, nutritio; si minor, decrementum: porro proportio molis, & proinde virium
 cordis, totius corporis respectu, minor est in feminis quàm in viris, cum aliunde
 major sit sanguinis movendi quantitas; adeoque citius in illis librantur vires cordis &
 resistentiæ. Deinde ossium præcipuum elementum, terreum illud est, ut demonstrat
 analysis; particulas autem crassas & terrestres feminarum humoribus pauciori quantitate
 adesse, evincit virium, per quas fit concoctio minor in ipsis potentia; & si aliquando
 ex alimentis crassiores extractæ fuerint moleculæ, harum, propter vasculosi systematis
 inertiam, difficilis ut erit assimilatio, ita citius è corpore sub urinarum præsertim for-
 mâ secedent; ideò mulieribus urinæ magis quàm viris crassæ & turbulentiæ; propterea

(a) Idem de
 Natur. pueri
 Sect. X. seq.
 de Genitur.
 Sect. VI.

(b) De Par-
 cieux. Essai
 sur les proba-
 bilités de la
 durée de la
 vie humaine.
 (c) Hippocr.
 Aphor. 54.
 Sect. II.

(d) Idem.
Aphor. 29.
Sect. VI.

etiam vix unquam podagrâ (d) tentatur femineus Sexus; & inter alias rationes, urethra scilicet ampliacionem & brevitatem, calculo longè rariùs vexatur quàm virilis. Hæc confirmant bajulorum & rusticorum corpora quibus, cum duos & terrestres assumant cibos & concoquant, ossa fiunt longè quàm urbanis ampliora. Ossium igitur in unâquaque dimensione feminis minuitur volumen, & aliquando numerus, ipsis siquidem ultimæ molares dentes sæpius quàm viris deficere observantur. Staturæ muliebri minuendæ prætereà concurrit tunica cellulosa, uteri, mammarumque valde explicabilis fabrica. Quippe accretio, cæteris paribus, ex quantitate liquidi appulsi æstimanda. Jam verò quòd systema cellulosum laxius sit feminis, humorum qui in his lentè moventur, perpetua exinde fit in cellulas derivatio, & affluxus: unde augmentum in latitudinem; adeò ut obesa corpora macilentis in genere minùs excrescant in longitudinem. Deinde cum arteriæ hypogastricæ, tum numero, tum diametro, majores sint feminis quàm viris, & menses ante finem incrementi plerumque erumpant; liquor vitalis minori copiâ per arteriam cruralem, artus inferiores alluit, qui ideò minùs crescunt; exemplo fetus cui minimi sunt hi ipsi artus, quòd ab arteriis cruralibus desilectens sanguis ferè totus in umbilicales deferatur; citissimum verò incrementum recipiunt, ubi oclusis iisdem umbilicalibus, crurales debitum accipiunt sanguinem. Prætereà eodem fere tempore, quo menstrua mulieribus erumpunt, iisdem fororiantur mammae: porro arteriæ mammariæ præcipuè ex subclaviâ & axillari ducunt originem, ut ideò quantitas sanguinis dilatandis mammis inserviens, eadem artubus subripiatur superioribus. Demum aorta ascendens densior & strictior feminis est, inferior autem laxa & ampla magis: quapropter sanguinis copia minor in ascendentes aortæ ramos advehitur. Reipsâ feminis collum subtilius; larynx minor, thyroïdes cartilago, ut tenuior, minùs protuberat; facies angustior; cerebrum & caput minora sunt. Ex prædictis sequitur, cæteris paribus, eò proceriorem fore mulieribus staturam, quòd tardior, pauciorque humorum fiet ad uterum & mammas derivatio: hinc justæ & concinnæ corporis magnitudini illæ optimè consulent, quæ nonnisi post debitam accretionem, octodecim scilicet vel viginti annos, graviditatis & puerperii adibunt pericula. Musculos exiliores feminis [Sect. III.] diximus: an quòd minori constent fibrarum numero? obstant ne credamus tum actio muscularis si debilior, attamen æquè varia ac in maribus, imo agilior: tum musculorum molis, pro diverso nutritionis statu, in eodem individuo, enormis sæpius spectanda differentia: an potius fibræ musculosæ tenuiores mulieribus, viris crassiores? crassitiem non differre suadet Muysii & Lewenhoekii (e) microscopium, quo in animantium diversæ molis & speciei, quadrupedum, avium, piscium, corporibus, ultimæ fibræ longæ, mole vel crassitudine propemodum æquales apparent. Omne itaque discrimen ex telâ cellulosa contingere credere est, quæ viris densior & crassior membranarum ratione, minime verò cellularum, dum musculorum fasciculos colligit, & fibras singulas comitatur, musculosam adauget carnem, roboratque: sententiam confirmant telæ cellularis usus & historia; crassa siquidem & callosa membris exercitatis, vel robustis, eadem debilioribus tenuior est & delicatior. Fibræ itaque longæ, æquales in utroque Sexu numero & crassitie, tunica quâ includuntur longè dispares sunt. Ex vaginæ densitate fibrosum systema viris firmum ac robustum redditur: inde ideæ lentiores, sed tenaces; sensus hebetior, at animus constans: contra involucri tenuitas efficit ut feminis fibra imbecillior, nudiorque, stimulis internis externisve moveatur, qui virilem fibræ vix possent laceffere: quapropter Sexui muliebri, præ masculino *irritabilitas* major & *sensibilitas*: mobilius inde genus nervosum, vibrantiores & micantiores oculi, vividiores ideæ, promptior imaginatio, sensus acerrimi, major ab externis passio, ad convulsiones & lipothymiam proclivitas: proinde ut viros vexat melancholia, ita feminas hysterica passio; quos totâ naturâ differre morbos contra Sydenhamum contendimus. Non obstare autem laxitati muliebris fibræ ejusdem *irritabilitatem*, suadet convales-

(e) Lewenhoek. Epist. Physiol. palst. Muysii de carne Musculos, p. 426.

centium & phthysicorum exemplum, quibus dum vis muscularis minima est, sensus adest exquisitissimus, adeo ut ingenii acumen, & corporis robur inversâ ratione crescere ac decrescere videantur.

V.

PROPOSITA porro [Sect. III. & IV.] Sexuum discrimina à solâ pendere consuetudine & educatione, multi existimant: molliori quidem vitâ otiosâque foveri *femineitatem*, durâ autem & exercitatâ virilitatem augeri non inficias ibis; attamen in his agnoscere debes naturæ institutum. Jam enim in omnibus locis temporibusque constans utriusque Sexûs longè dispar educatio, generalissimam supponit in humanâ specie consuetudinem, quæ probè intellecta ad hominum originem te reducet, adeoque ad ipsammet naturam: nec te movebunt Amazonidum raræ & incertæ historiæ, præsertim cùm earum, si unquam fuerint cœtus, omnino viris caruisse, nondum apud (a) eruditos constiterit. Viros deinde aspice urbanos, otiosos, ut ab exercitatissimis mulieribus rusticis adhuc dissimiles, universo corporis habitu sexum exhibent virilem! Demum in brutis similia plus minusve, præsertim in viviparis, tibi occurrunt discrimina, quibus tamen eadem vivendi norma, eadem exercitii videtur ratio. An sexuum discrepantia [præter Sect. I.] à femine, quod in masculis vividius, & certè copiosius (magis enim coitû debilitantur quàm feminae) dum perpetuò resorbetur, & humoribus permiscetur, phænomena relata [Sect. III. & IV.] producit? Reverà cùm formatur semen, erumpere barbam, mutari vocem ex acutâ in graviolem & asperiolem, roborari juvenes, mariumque carnes nescio quid spirare virosum, omnibus notum est: prætereà eunuchis, si puerili ætate castrantur, (b) vox acuta remanet, neque oriuntur pili, qui nobis natis postea provenire consuevere, calvities & podagra non accedunt, nec (c) latæ venæ sunt, nec sanguis floridus, & arteriæ parum & imbecillius pulsant; certo argumento totum corpus à testibus alterari. Si tamen castratorum corpora attentè perlustres, non omnino, præsertim magnitudinis ratione, feminina reperies, sed mediam, ut ita dicam, inter Sexum utrumque servare proportionem. Quid si ante feminis formationem pueri, imo ante ortum fetus, Sexum suum indicant? quippe mares citius, frequentius, validiusque in utero (d) moventur; ergastula solvere maturius gestiunt: ut inde mares, potius quàm feminas, oblaesos mutilosve, in genere hominum nasci (e) observatum sit: prætereà mulier si marem concepit, benè colorata est; si verò feminam, (f) sæpius decolor, infirmiorisque valetudinis: fetus mares in dextris, utpotè validioribus partibus, feminas in uteri sinistris (g) ut plurimum geri: illos crescente & vigente lunâ sæpius, has potius decresciente nasci; quod conceptio & partus, similibus respondeant lunæ periodis, vulgaris, parum adhuc liquida, percrebuit opinio. Si verò hæc omnia cum feminis historiâ & usu probè conferas, & simul attendas, adolescentes inter se, vel senes cum juvenculis, si rem habent, potissimum generare femellas, ætate consistentes masculos: quæ spontè concipere nequeunt mulieres, eas si artis auxilio conceperint, feminam magnâ ex parte parere (h) potius quàm marem: in humanâ specie prolem geminam similis Sexûs frequentius edi quàm dissimilis; & paucos geminos servari (i) si alter mas sit, alter femina: austrinis flantibus ventis feminas in brutis, aquiloniis autem mares (l) potius concipi: in hisce septentrionalibus plagis, quippe humana gens robustior est, pueros nasci, qui puellarum nascentium numerum fere quadragesimâ parte superent, quod certissimis observatis constitit: contrà in meridionalibus, ut viatores narrant, femininos fetus, masculinis frequentiores esse: ex his omnibus non absurdum adeo consequetur, illud veteris sapientiæ (m) effatum, quod jam in quadrupedibus singulâ vice feturam unam edentibus (n) experientiâ confirmatum est; posse dari scilicet, humano generi utilissimam artem, quâ mares feminæve, ad arbitrium generentur. Quod autem institutis semel Sexibus, insigni robore alterutrum potiri necesse fuerit, indicant plurima vitæ munia quæ non nisi summis membrorum viribus possunt adimpleri; corporis verò fortitudinem mari-

(a) P. Petit, Med. de Amazonib. dissert. Amstel 1687. in-12.

(b) Aristot. Histor. Animal. Lib. IX. Artic. 230.

(c) Galen. de Semine Lib. I. cap. 15.

(d) Hippoc. de Nat. puer. Sect. XX.

(e) Edoard. Wotton Oxoniens. de differ. Animal. Lib. II. cap. 64. Paris 1552.

(f) Hippoc. Aphor. 42. Sect. V.

(g) Ibid. Aphor. 42.

(h) Arist. ibid. Lib. VII. cap. 6.

(i) Idem, Probl. Sect. X. Probl. 30.

(l) Idem de Generat. Animal. Lib. IV. cap. 2.

(m) Hippoc. de Vita Sect. XX. seq.

(n) Advis pour élever des Chevaux, &c. par Querbrat, Calloet, Paris 1666. in-4°.

bus, non verò feminis concedendam fuisse ex se patet. Ex naturali enim mentis ad illa [Sect. II.] propensione ad quæ exequenda corpus est optimè disposirum; mulieres si iis artus torosi lateraque firma fuissent, duris jam gauderent exercitiis: inde catameniorum quibus stare videtur fecunditas, facilis cessatio, fetûs intra & extra uterum difficilior nutritio, effluxus & abortus frequentissimi, prolis educandæ, quæ vitæ otium exposcit, neglectior cura: sic vano generationis toto opere futuro, nisi Sexus prolem edens, nutriens, & educans idem fuisset. Prætereà ex eo quòd mollities & teneritudo corpori muliebri contigerit, pulchritudini via sternitur; puerorum exemplo, qui ideò formosi, quòd mollior sit & delicatior habitudo corporis. Hinc enim tunica cellularis tenuiori distenditur oleo, vacua opplentur interstitia, nitidior cutis, lenis humorum indoles & placidus motus, vasorumque minimorum repletio. Cessantibus menstruis, formæ venustas mulieribus, ut plurimum, immutatur; viris ut ad generandum habilitas sic & dignitas servatur diutius. Viden sapientissimam quam Sexibus fecit D E U S bonorum partitionem! Si utrinque virium corporis æqualitas; ex dominationis affectatione discordiæ vix placabiles: si ambobus par debilitas, similisque formæ pulchritudo; jam imbecilliores fuissent hominum cœtus, quos aliunde, firmissimum humanæ societatis vinculum, amor non conjunxisset: sin autem corporis robur & forma ad unum simul pertinerent; alterum vilem fore, infelicemque agere vitam necesse esset: cum verò alteri fortitudo, imbecillitas alteri cum venustate tribuitur; res ex æquo partita est: » societas nonnisi ex dissimilibus atque inæqualibus (o) constare potest, » quos tamen oportet exæquari. Quòd demùm mulierum fibris major insit sensibilitas, haud leve commodum est: liberorum siquidem prima educatio ad commiserationem & charitatem proniores exposcit animos; hinc in omni genere animalium in educandâ sobole femina mare magis sollicita est: rei deinde domesticæ, vitæque privatæ tædiosa ut est uniformitas, paucitatem objectorum sensus acutior utilissimè compensat: prætereà cum graviditatis ærumnas, partusque pericula, pessimam adedò conjugii partem, feminae sortitæ sint; eas spontè facilius sese irretire amoribus optimum est. Inde fluitant variæ dotes & propensiones cujusque Sexûs propriæ; ruunt autem de alterutrius excellentiâ vanæ quæstiones: neuter perfectus, quòd ex utroque tantùm amussitatum sit opus: si ex solis mulieribus constaret societas, verendum ne harum eximie dotes, verecundia, commiseratio, pietas, &c. ad vitia usque progredirentur; si ex solis viris, propinquæ adsunt melancholia, ferè barbaries, ac ferocitas: at dum communem ineunt confociationem mutuo sese temperant Sexus; affectiones cuique propriæ, rariùs à certo discedunt medio quo constat ordo; naturæque systema omni puncto absolvitur. Phænomena, reique ipsius institutio hanc proinde adducunt conclusionem.

Ergo præter genitalia Sexus inter se discrepant.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Alexander-Dionysius Dienert,	M. Claudius-Franciscus Grand-clas, Stanislaus Poloniarum Regis, Lotharingia & Barro Ducis Consiliarius & Medicus.	M. Gedeon de Rabours.
M. Carolus Geille de Saint Leger.	M. Joannes-Franciscus Clemens Morand, Regis Societatis Lugdunensis Socius.	M. Laurentius Ferret.
M. Jacobus-Ludovicus Alleanme.	M. Benjamin Ludovicus Lucas de Laurembert.	M. Joannes-Jacobus Belleteste.

Proponebat Parisiis EDMUNDUS-THOMAS MOREAU, Senonensis saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1750.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1750.